Q. D. B. V.

MULIEBRIA

DISPUTATIONE ANATOMICA,

PRÆSES

VIR

EXCELLENTISSIMUS atque EXPERIENTISSIMUS

DN. JOANN. HENRICUS HEUCHERUS,

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOTAN. PROF. PUBL.

ET

RESPONDENS

JOHAN. GEORG. VETTE,

CIB. TRANSILV. MED. CAND.

IN AUDITORIO MEDICORVM QVOD VITEMBERGAE APVD SAXONAS EST

AD DIEM XXIX. MARTII M. DCC. X.

DISCEPTABVNT.

VITEMBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULZII, Acad. Typogr.

26

-26

ILLUSTRI AC GENEROSO
EXCELLENTISSIMO *atque* EXPERIENTISSIMO
DOMINO,

DOMINO
AMUELI KOELESERI
de KERES - EER,
PHIL. ET MED. DOCTORI,
ACRAE CAESAREAE REGIAEque
AJESTATIS INCLYTI GUBERNII REGII ET
ÆSIDIORUM CÆSAREO REGIORUM IN TRANSYLVANIA
ANTEHAC MEDICO ORDINARIO PROVINCIALI,
NUNC UNIVERSÆ REI METALLICÆ
INSPECTORI SUPREMO,

OMINO atque FAUTORI SUO GRA-
TIOSISSIMO ÆTATEM
COLENDO,

SPECIMEN HOCCE ACADEMICVM
SACRVM ESSE VOLVIT
EJVSDEM

CULTOR DEVOTISSIMUS

JOHANN. GEORG. VETTE.

D. O. M. F.

THES. I.

SI præclare quisquam, ac pro eo, ut par ſit, de membris elegantioris ſexus, quæ generationi inſerviunt ſenſit atque ſtatuit, id fecit profecto SWAMMERDAMIVS, utpote qui illa non aliter, quam, neſcio quod, naturæ miraculum, eſt contemplatus.

II.

Nec enim eſt minor in muliebri corpore organorum, generationi famulantium, apparatus, quam in virili: utrinque vero maximus & admiratione dignus.

III.

Neque tamen ideo muliebria ſunt partes, quemadmodum antiqui exiſtimarunt, virilibus plane conformes, quippe qualis ſimilitudo in nullius animantis ſexus ſequiore deprehendatur. Imo ne femellarum quidem omnis generis animantium genitalia inter ſe conveniunt.

IV.

Pubis pars prominentior, dicta monticulus Veneris, multa pingvedine eſt ſuffuſa, pro mutuo, oſſium pubis in conjunctione mutua, contactu molliori futuro.

V.

Venter rugoſus non ſufficit ad probandum prægreſſum puerperium; nec item, ſic ſatis lævis, ac ſtrictus, pro aſſerenda virginitate.

VI.

Vera diagnoſis feminæ, puerperium, aut abortum foetus maturioris perpeſſæ, ab illa, quæ nondum peperit, repetenda partim ab ipſius orificii vaginæ corrugationibus, partim a freno fiſſuræ magnæ.

VII.

In illis quippe, quæ vel ſemel pepererunt, membranoſæ illæ inæqualitates & corrugationes, carunculæ myrtiformes dictæ, gratiſſimæ Veneris illecebræ, ita obliterantur, ut earum nullum ferme, & vix ac ne vix quidem palpabile veſtigium relinquatur.

VIII.

Similiter freni labiorum tenſio in puerperio per foetus tranſitum inſigniter laxatur, ipſaque fiſſura magna hac ratione anum verſus non parum dilatatur, nec unquam poſt puerperium ad priſtinam tenſionem redit.

IX.

Tantum tamen abeſt, ut certiſſimi hujus ſigni, Gallis *le dechirement de la fourchette* dicti, inventionem, cum Auctore anonymo Itineris Anglicani, & Batavi, JOANNI RAW, ut potius REGNERO DE GRAF adſcribamus, ut qui prodiderit primus. cutem inferiorem ligamentoſam, frenum labiorum dictam, tenſam in virginibus, in puerperis laxam eſſe.

X.

Sebaceæ nympharum glandulæ MORGAGNI inventum ſunt.

XI.

Aut ſui fuit immemor F. de le BOY SYLVIUS, cum ſcripſit, urethræ exitum ſub nymphis eſſe; aut magna librorum Sylvianorum pars diſcipulorum eſt foetura.

XII.

Non omnino inepte clitoris vocatur penis muliebris, quando & ex corporibus nerveis ſpongioſis, & ex glande præputioque conſtat.

XIII.

XIII.

Erravit vero J. M. HOFFMANNVS, qui exiſtimarit, clitoridem deſtinatam eſſe pudendo, ne collabaſcat, ſuſtinendo.

XIV.

Illud alioquin longe eſt veriſſimum, quod naturaliter torpenti Veneri excitandæ inſerviat clitoris, exinde nunc oeſtrum Veneris, nunc dulcedo amoris dicta.

XV.

Imo, præter naturæ ordinem tentiginis impetu nonnunquam excreſcens, membro virili aliquando proportione reſpondet, juxta illud Poetæ:

Mentiturque virum prodigioſa Venus.

XVI.

Prius probant ſalaciores feminæ, quæ clitoridis contrectatione ac titillatione laſciva, liquoris illius, quem vulgus ſperma vocat, effuſionem ſibi ipſis excitare ſolent: poſterius præ ſe ferunt obſervationes.

XVII.

Muſculorum clitoridis uſus eſt, corporum nervoſorum venas conſtringere, & ſanguinis regreſſum impedire. Inde ab affluxu ſanguinis arterioſi corpuſcula nervoſa tumentia clitoridem arrigunt, membranamque eandem præcingentem valde tendunt. Quo fit, ut papillæ nerveæ pendulæ, rigidæ magis factæ, minimas etiam titillationes accuratius perſentiſcant, Venerisque illecebras augeant.

XVIII.

Sed ut nullam humani corporis partem ſolius voluptatis fruendæ cauſa conditam puto & fabrefactam: ita nec clitoridem, cujus reliquos uſus tempus futurum forſitan edocebit.

XIX.

Carunculæ, quas vocant myrtiformes, non ſunt glandularum vaginalium laciniæ.

XX.

Spectant potius ad hymenem, cujus quaſi reliquiæ eſſe videntur.

XXI.

Scilicet membranam, hymena dictam, ſi qui nunquam adeſſe contendunt, errant: qui rarius, recte autumant.

XXII.

Non enim eſſe ens rationis, uel RUYSCHIUS comprobat, qui in infantibus femellis hymenem lunam falcatam, aut etiam dichotomam; in adultis plenam, ſed perforatam, referre uidit.

XXIII.

Sed quod raro adeo inueniatur uirginitatis hic theſaurus, in culpa plerumque eſt petulans uirginum curioſitas, & intempeſtiva laſciuia: rariſſime morbus.

XXIV.

Præſente autem hymene, præſens eſt tunica, tenuiſſima complexa vaſcula. Inde, rupto hymene, cruentatio.

XXV.

Interdum a ſumma parte, ex ipſa prorſus hymenis ſubſtantia, firma lamina, parvæ inſtitæ, aut columnae ad inſtar, deorſum recta demittitur, cumque annuli inferiore parte commiſſa, ſpatium illud quod medium intra annulum relictum eſt, in duo diuidit ſpatia, duplicis quaſi uirginitatis documentum.

XXVI.

XXVI.

Ex quo poteſt intelligi, quare hymen uirginea ſiue uirginitatis columna antiquis fuerit appellata.

XXVII.

Errant, quotquot ſic ſtatuunt, feminas circa exitum meatus urinarii gaudere proſtatis.

XXVIII.

Sed moles tamen adeſt glanduloſa, qua muliebris urethra cingitur, cujus præſentiam foramina, circumcirca diſperſa, indicant. Moles iſthæc quam longa eſt, ac lata, tam magno intra vaginam ſpatio protuberat; forſan ideo, ut eo tempore, quo, fibris carneis ab ano productis, deorſum trahitur, & uiri genitale arctius comprimat, & uiciſſim arctius ab hoc compreſſa, liquorem, quo ſcatet, large & opportune profundat.

XXIX.

Vagina etenim ueſicæ urinariae, & recto inteſtino tam firmo deuincitur nexu, ac ſi utraque communi tunica continerentur.

XXX.

Vaginam autem in actu Venereo blande adſtringunt præter illa, quæ dixi, muſculoſæ fibrae, a ſphinctere ueſicæ ortæ, & plexus retiformis. Eandem erigunt quaſi, aut tendunt fibræ tendineo carnoſæ, in longum excurrentes.

XXXI.

At ideo tamen non crediderim, tantam eſſe erectionis uaginae ad foecundum coitum neceſſitatem, quantam MUNNICKIUS iudicauerit.

XXXII.

XXXII.

Aſt quod ad uaginae muliebris plexum retiformem attinet, is tres digitos latus eſt, talique modo maxime enſis uirilis gratia efformatus uidetur.

XXXIII.

Ceterum rugoſa eſt uirginibus uagina: feminis, venere uſis, ætate prouectioribus, & quæ ſæpe pepererunt, quin & omnibus, quæ profluuium diutius paſſæ ſunt, læuigata.

XXXIV.

Vaginarum rugæ, contra, quam proditum ab Anatomicis, nequicquam circulares ſunt, neque in orbem coëunt; ſed utrinque inde a lateribus uaginarum, nonnunquam & inter utrumque latus poſterius, incertæ magnitudinis ſpatium ſolent permittere; quo in loco quiddam quaſi tendineum, firmumque interiectum eſt.

XXXV.

Sunt & eædem rugæ copioſiſſimis eminentiis crenatae, & iis majoribus aliis, aliis minoribus, pleriſque autem pyramidalibus.

XXXVI.

Suntque hae crenulae forſitan papillae, quarum beneficio mulier Venerem magis ſentiat: praeſertim cum uagina interior, eiusque adeo rugae ex nerueo corpore, quodque in cute papillare uocatur, ſint contextae.

XXXVII.

Diſceptatio Anatomicorum de multiplici mulierum ſemine, nullius eſſe uidetur uſus, poſtquam

com-

compertum eſt, liquorem, quem ſalaciores feminæ ſæpius, nec ſine voluptatis ſenſu effundunt, uerum non eſſe ſemen.

XXXVIII.

Ejus fontem liquoris, originemque credimus eſſe ouales glandulas, in omnem ſparſas vaginae ambitum.

XXXIX.

Vt nullum eſt dubium, quin iſtae glandulae iam ante tempora VALENTINII innotuerint Anatomicis: ita nec dubitandum, nemini eorum, niſi uni VALENTINIO, tam luculenter veniſſe in conſpectum.

XL.

Earum uero liquor, utut ſemen dici nequeat, adeoque nec eandem, ac uirile ſemen, habeat excellentiam: hunc tamen uidetur habere uſum, ut ſubleſtum generationis negotium nonnihil exinde accipiat lenimenti.

XLI.

Exprimitur hoc flumen non ſolum beneficio, ſic dictorum, ſpirituum, ad neruos affluentium, ut uan HORNE cenſuit; ſed et iuuatur eiusdem expresſio tum a motu corporis, tum a fibris fontium ſe contrahentibus.

XLII.

Putem ego, et foetum in tranſitu ex his glandulis lentorem quendam emungere, quo uias difficiles, ita lubricas magis redditas, ſuperare queat.

XLIII.

Alioquin racemi hi vaginales botryformes uerus nidus atque focus ſunt, in quo Morbona muliebris tragoedias ſuas uarie ludit.

XLIV.

Ubi enim liquor abundat iſte, neque iuſte euacuatur, tentigo oritur, furor uterinus, clitoridisque inſania, pollutiones, & inſomnia venerea.

XLV.

Imo, inundatae liquore iuſto copioſiore & ſeroſiore uaginae glandulae, uteri prolapſionem nonnunquam mentiuntur.

XLVI.

Etſi paſſio hyſterica utplurimum ſuos in primis uiis ſedes habeat, quin & cum hypochondriaca ſaepe paſſione confunditur: negandum tamen non eſt, in uteri etiam ſubſtantia ſaepisſime primas agere radices.

XLVII.

Nolim tamen credas, hoc tum potisſimum fieri, ubi, ut vult VALENTINIVS, externum frigus uterum offendat.

XLVIII.

Hoc enim caſu plerumque colica cum pasſione hyſterica confunditur.

XLIX.

Tantum abeſt, ut feminae, togis undiquaque large demisſis, aurae frigidioris cuniculos ſubterfugiant, ut potius nihil minus.

L.

Fluor albus eſt coryza glandularum uaginalium.

LI

Inter medicamenta fluori albo opportuna, poſt evacuantia omnium ſunt optima martialia.

LII

LII.

Raro opiata, quae aliis tantopere hoc loco commendantur, profuiſſe meminimus; idque ob cachexiam, quæ ſæpe, multumque concurrit.

LIII.

Nonnunquam tamen hic et egregiam nauant operam balſamica, et eiusmodi, qualia ſunt trochiſci de Carabe.

LIV.

Ex inſpectione genitalium muliebrium non ſemper certi quicquam ſtatuere licet de praeſentia luis Venereae.

LV.

Coitus non male dicitur parva epilepſia.

LVI.

Vt falſum eſt, mixta maris, & feminæ ſemina conſtituere materiam fœtus: ita nihilo verius, coitus incaſſum exerceri, niſi eodem ſimul momento utriusque genitura coniugis effundatur.

LVII.

Symptomata, quæ coitum fœcundum ſequuntur, imprægnationisque ſigna ſunt, alteratio, puta, inſignis, horror, nauſea, vomitus, dolor capitis, non leuem ſuſpicionem præbent ſanguinis muliebris, ab aura genitali virili infecti.

LVIII.

HARVEANAE ſententiae, qua ſtatuitur, ſemen integrum uirile in uterum non immitti, falſitatem aperuit RVYSCHIVS.

LXXIII.

Ipſæ certe gallinae ſine gallo pauca; reliquæ aviculæ nulla ſine mare ovula pariunt.

LXXIV.

Non impoſſibile iudico, unum etiam ovum gemini fœtus ſtamina continere.

LXXV.

Fallax criterion eſt coctio in aquis, cum diſtingvendæ ſunt hydatides ab ovulis.

LXXVI.

Veſiculas, quæ in cervice uteri reperiuntur, male NABOTHVS pro ovulis, GRAFIVS, BARLIVS, ORTLOBIVS, & LITTRE, pro hydatidibus, MORGAGNI pro glandulis habuit. Nihil enim horum eſſe omnium uidentur.

LXXVII.

Vaſa, quæ præparantia dicuntur, feminarum, ſi ortum ſpectes, numerumque, a virilibus parum differunt: ſin progreſſum, diſtributionem, uſumque attendas ſequiore in ſexu, magnam omnino diverſitatem agnoſces,

LXXVIII.

Inprimis eo differunt inter ſeſe, quod arteriæ ſpermaticæ, in feminis per varios cincinnos contortæ, & pariter cum venis ſerpentino ductu flexæ, intra abdomen commeent, partimque ad ovaria, partim ad tubas, partim ad uterum ferantur ipſum.

LXXIX.

Arteriæ hæ per anaſtomoſes hypogaſtricis uaſis

ita conjunguntur, ut horum uaſorum terminos haud facile determinaveris.

LXXX.

Quod in viris uaſa ſunt deferentia, id tubæ ſunt in feminis Fallopianæ.

LXXXI.

Has vulgus parum ſcite vocat oviductus. Plus enim, quam ſola ova, ducunt.

LXXXII.

Nec vitavit errorum genitricem, ambiguitatem, BARTHOLINVS, nepos, cum per oviductum non ſolum tubas uteri; ſed etiam ipſum uterum una cum ejus collo, & canali, quem vaginam vocant, intelligendum putavit.

LXXXIII.

Harum tubarum fimbriæ muſculoſæ, vigente Venere, vigent, ſeſeque & expandunt, & contrahunt.

LXXXIV.

Quare erudite perquam, atque ingenioſe DRELINCVRTIUS: *Uti feminæ*, inquit, *bombycum, papiliones, apertum, & erectum podicem cupidine cœca tamdiu jactant, atque circumferunt, quam mari copulentur: ita prorſus muſculoſæ tubarum fimbriæ turgidulæ, manus ad inſtar expanſæ, huc & illuc attolluntur, atque vagantur, donec impetu cœco ruant, in ouariorum amplexus.*

LXXXV.

Conveniunt tubæ cum inteſtinis in eo, quod ipſarum tunica extima ſit muſcularis, intima laxior, & in plicas, rugasque contracta.

LXXXVI.

LXXXVI.

Sed cellulae in canalium horum medio poſitæ, figmenta ſunt Anatomicorum, nimis lynceos oculos habentium.

LXXXVII.

Tubas uteri antiqui falſo impervios eſſe crediderunt.

LXXXVIII.

Forſitan caſibus decepti ſunt eiusmodi, cuiusmodi caſus RVYSCHIVS de cœcis, clauſisve tubarum Fallopianarum orificiis ſæpius ſe obſervaſſe exiſtimat.

LXXXIX.

Sciendum vero MORGAGNIVM admodum de his obſervationibus Ruyſchianis dubitare, eo quod ſæpius tubas, primo quidem tentamine, primaque inſpectione, alicubi, in primisque ad uterum, occluſas exiſtimarit, ipſe MORGAGNIVS, re tamen vera poſt diligentem inquiſitionem, diſſectionemque, uix unquam clauſas compererit.

XC.

Tubarum ſitus ſe habet aliter, ac GRAFIUS depingi eum curavit.

XCI.

Poſtquam enim tubæ teſtium dorſum conſcenderunt, tum frequenter ſolent infra eos demitti, ac propendere, adeo quidem, ut alias deorſum, alias ſurſum orificia ſpectent.

XCII.

Ligamenta uteri inepte dicuntur rotunda. Sunt

enim

enim prope uterum magis lata, itemque ibi, ubi terminantur in plurimas fibrillaceas expanſiones.

XCIII.

Eadem ligamenta plus, quam ſimplicia ligamenta, in devinciendo laxe partibus anterioribus uteri, præſertim gravidi, fundo, præſtare uidentur; cum, præter membranam exteriorem ſuccingentem, intus minutiſſimarum arteriarum, & venarum compagem contineant.

XCIV.

Præſtantiori ſane, quam ligamentorum, munere funguntur: quanquam vix crediderim, ab iis liquorem, quem ſexus ſequior tam in ſtatu naturali, quam præternaturali ex genitalibus copioſe nonnunquam effundit, deriuandum eſſe.

XCV.

An vero ſanguini, ſpiritibusque, ad clitoridem adducendis, aut expurgandis ad inguen excrementitiis humoribus, aut aduehendis monticulo Veneris oleoſis, nutritiis portionibus inſerviant, dubium valde ac incertum.

XCVI.

Quia uterus anterius cum veſica urinaria, oſſibusque pubis, poſterius cum recto inteſtino ualide, duplicato adminiculante peritonaeo, conjungitur; & involucro membranaceo, multum expanſo, alligatur partibus uicinis, non facile metuenda eſt ejus fluctuatio, aut oberratio.

XCVII.

Nec facile aſcenſus, idque uel ideo, quod cum uagina tam arcte ſit connexus.

XCVIII.

Vbi de fontibus menſtruorum lis movetur, ab illorum ſtamus partibus, qui eos & in utero, & in vagina quaerunt.

XCIX.

Vterus non habet, niſi unicum orificium, ut adeo male internum aliud, aliud externum nominetur.

C.

Clauditur exactius, utero fœcundato, uerum uteri orificium: contra ſub excluſionem fœtus mirum in modum, ad inſtar roſæ, ſeſe explicantis, paulatim ampliatur, atque diducitur.

CI.

Obſtruitur ceteroquin uteri aditus partim valvulis ceruicis uteri; partim muco illo, ſeu lentore, quo uterina abundat cervix.

CII.

Nec vaccarum magis, quam feminarum gravidarum os uteri obturatur materia, in modum glutinis viſcida, quemadmodum primus animadvertit J. M. HOFFMANNVS.

CIII.

Partus autem tempore quam maxime uteri dilatatur orificium, quo foetus exitum inueniat. Si qui uero, aperiri tunc etiam, iuxta et expandi, et Priapo aptari ſtatuant, cum femina compreſſa membrum uirile recipiat, ii ineptiunt, nugas queuendunt.

CIV.

Idem orificium in uirginibus, ut et prolem nondum

dum enixis feminis, inſtar rimae latum eſt tranſuerſae: in puerperis rotundius.

CV.

Vteri fundus depreſſæ potius, quam exactae rotunditatis eſt in feminis, illibatae decus uirginitatis ſeruantibus.

CVI.

Circumuolutum, et ſerpentinum uaſorum uteri ſanguineorum reptatum iam ante RUYSCHIUM exacte annotauit IO. MUNNICKIUS.

CVII.

Memorabilis contextus fibrarum carnoſarum motricium, longitudinalium, transverſarum, et decuſſatim poſitarum, muſculi uteri conſtringentis, expellentisque in partu obit uicem.

CVIII.

Magnitudo uteri aeque difficulter, ac uentriculi determinari poteſt.

CIX.

Illud olim naturae reputatum miraculum, quod uterus grauidarum mirifice in omnem dimenſionem amplificetur, neque attenuetur tamen, noſtris temporibus aeque, ac illa ſeptem mundi, non tanti amplius aeſtimatur, poſtquam et ſtructura uteri melius innotuit, et compertum praeterea eſt, ad uterum grauidarum affluxum ſanguinis, et humorum eſſe uberem, atque copioſum.

CX.

Neque hoc ſilentio praetereundum, initio tan-

tum impraegrationis intumeſcere uterum; at poſtea attenuari.

CXI.

Ex quo ſimul hoc intelligas, mirum non eſſe, aliquando, rupto utero, foetum in abdomen proſiliiſſe.

CXII.

Ceterum, quo loco umbilicus adhaeret, craſſior eſt uterus, quam alibi, idque ob placentam.

CXIII.

Vterus tutelae non minus, quam ſpatii commodi, quam et futurae ad partum breuioris uiae gratia, intra peluim reconditus eſt.

CXIV.

Ita uero reconditus eſt, ut medium inter veſicam urinariam incumbentem, et ſubiectum inteſtinum rectum, locum occupet.

CXV.

O miſeram igitur conditionem hominum, inter ſtercus, et urinam, primum uitae initium exigentium! Heu dementiam, ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos!

S. D. G.

To the right learned and honeſt SIR VETTE

Moſt Learned and Honeſt SIR

THat great acquaintance, you have cauſeth me to take that boldneſs, to put theſe fevv lines before your Eyes, in ordre to bear a Witneſs of vvhat i ever have valvved your vvorthineſs; and i doe that in the Engliſch tongve, that ye might allvayes remember me, as i ſchal never fail to praiſe and valevv your able learnedneſs. 'Tis true that i ſhould here reaſonably indeavour to put before the Eyes of each that vvould ever be pleaſed to read theſe fevv lines, in vvhat you exceed ſo many others: But vvho is there here that vvould not dislike this labour as ſuperfluous, ſeeing that Diſputation you have let print, hath done that more ſufficiently as i ever could

doe

doe. There fore my only endeavour; before i finiſh theſe lines, ſhall be to pray God that he vvould be pleaſed to overvvhelm, and ſpread all vvhat ye' may undertake, hereafter to his glorie, aud the improvement or profit of mankind, vvith his Holy Bleſſings, and you to conſerve me that favour ye have allvayes ſhevvd me. Dear Sir.

at Vitemberg in the Year 1710. the 27. of te Month. of March.

as to your moſt humble ſervant

M. J. P. Steven.